Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

45. E. 24.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

45. C. 24.

VETERA MONVMENTA
AD CLASSEM RAVENNATEM
NVPER ERVTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. F. CARD. STVPPANIO

PROV. AEMILIAE

DE. LAT. LEGATO

PIO. IVSTO. BENEFICENTISSIMO

VETERVM. MONVMENT. APVD. VRBINAT

CONSERVATORI. EXIMIO

CVLTORI. VBIQVE. MAXIMO

HAEC

BENE. AVSPICATO. OPERE. NVPER

AD. CLASSEM. RAVENNAT. ERVTA

MONACHI. CLASSENSES

FELICITATI. TEMPORVM

GRATVLANTES

DANT. DEDICANTQVE

DEVOTI. NOMINI. MAIESTATIQVE. EIVS

Digitized by Google

Digitized by Google

ADDENDA ATQUE EMENDANDA

CHaracterum inopia fieri omnino non potuit, quin inſcriptionum plurium literae quaedam differrent abs literis inſculptis marmoribus, in quibus lapicidae unico, aut duobus characteribus duas, treſve literas indicarunt. Faciliores nexus imitati ſumus, non vero omnes. Hac in re illud unum advertimus, in epigraphe (26), lin. 3., ut indicetur, quemadmodum nos quidem interpretamur, *vixit feliciter*, unicum characterem commonſtrare literas T & F, quod & nos in aliquibus exemplaribus effici curavimus, licet in reliquis elegantiae cauſſa (neque enim praelo id fieri potuit) ac typothetarum commodo conſulentes has literas, ceteraſque praeterea disjungi tulerimus. Quod porro heic aliquid additum ſit noſtris adnotatiunculis, id vero tribuas velim anguſtiis temporis, in quas ipſi nos jure conjecimus.

Adnotatione (10) pag. XX. lin. 2. irrepſit NAVPHILACE pro NAVPHYLACE; ibid. vero poſt Pollucis auctoritatem ita legendum: ut locum hunc ex MSS. emendat Kühnius. Phavorinus quoque ναυφύλακας nominat; quo tamen nomine, non tam navium cuſtodes, quam cuſtodum ipſorum praefectos intelligere videtur. Ulpianus vero in L. 1. ff. *Nautae* &c. Paullo inferius vero poſt ea verba inſcriptionis Veronenſis: *Vet. ex naofilace*, haec adde. Interpretationem hanc confirmaret multo, quod occurrit in Sponio Miſcell. Erudit. Antiquit. Sect. 2. ar. 7. nimirum NYMP. NVTR. ideſt *Nymphis Nutricibus*; heinc enim colligitur aliquando omiſſam fuiſſe literam H poſt P, etſi ponenda fuiſſet.

Adnotatione (17) pag. XXIV., lin. 6. pro 159. lege 129., & ibid. in Procopii auctoritate legendum *Beliſarius* non *Beliſarium*; hic enim ſibi Joannem *curatorem optaverat*.

Adnotationi (21), pag. XXIX. poſt auctoritatem Sponii haec adjicienda: De Commentarienſi pluribus agunt Pancirolus Variar. lib 2. c. 142., & ad notitiam Imp. Orient. c. 13. & Jacobus Gothofredus ad l. 5. C. Theod. de Cuſtod. Reor. Tom. 3. Frequentiſſima etiam in Actis Martyrum Commentarienſis mentio habetur. Dictum vero *Commentarienſem* ex eo cenſet Gothofredus, *quod Commentarios, ideſt rationes Cuſtodiarum, & damnatorum conficeret*, item *inſcriptiones criminum reciperet*. Suos habebat miniſtros Commentarienſis, quos videlicet cuſtodiendis reis, & carceri praeponeret: Hi, inquit Gothofredus *clavicarii*, vel *claviculari* a clavibus carcerum nominabantur, erantque homines viles, atque abjecti, licet ipſius Commentarienſis munus non vile haberetur, quemadmodum colligitur ex citata l. 5. C. Theod. Lubentius ergo admittimus *a commentariis cuſtodiarum* dictum fuiſſe eum, cui, ut ait Firmicus l. 3. Matheſeos c. 6., *damnatorum cura committitur*, quam is, qui excubiarum curam gereret.

Ibid. lin. 16. poſt verbum *extitiſſe* haec ponenda: de hiſce matriculis; ita enim appellabantur, vide Vegetium l. 1. c. 26., & lib. 2. c. 5.

Adnotationi (22) pag. XXX. lin. 32., ubi legis *promoveretur*, velim haec addita putes: vel etiam ei contigit, ut vacaret munere beneficio Praefectorum Praetorio. Nam Feſtus lib. 2. de ſignificat. verborum ait: *Beneficiarii milites dicebantur, qui vacabant muneris beneficio: e contra munifices vocabantur, qui non vacabant, ſed munus reipublicae faciebant*.

Pag. XXXIV. lin. 17. ubi habetur 13 legendum 53.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

MONACHI CLASSENSES.

FElici ſatis omine proximis his diebus Leander Lovatellus Ravennas, & Monachus ex noſtra Camaldulenſi Familia eam ſibi ſenſit injectam mentem, ut in vicinia ejus loci, quem ad S. Apollinaris in Claſſe appellant, effoſſa humo ea, quae multos jam annos ejuſdem gremio includerentur, tandem inſpiceret. Venerandae antiquitatis monumenta clarorum hominum cognitione digniſſima eruendi, plura ſpem faciebant: Templum inprimis nobile ad Claſſem extructum locum occupaverat: Claſſis Ravennae olim pars navali Romanorum portu inſignis admodum fuit, Civitatis nomen geſſit, ditiſſima ſemper habita eſt. Cœptae rei porro initia bene ac feliciter eveniſſe viſa ſunt; nam eo loco, in quo olim Templi Ardica eminebat, quemadmodum ex deleti aedificii veſtigiis conjicere fas eſt, ad altitudinem ſeptem circiter palm. ſeſe exhibuit ſtratum quoddam duro admodum caemento coagmentatum, cujus tanta erat craſſities, ut complura ſtrata alia aliis incumbentia plane viderentur, lamina marmorea alicubi occurrente. Sed eodem elato conſpicua fuere multa ſane ſepulcra, quorum idem non ſemper ordo. Pleraque ex lateribus omnino confecta erant,

quae-

Digitized by Google

quaedam tantummodo obſtructa lapidibus marmoreis in ea lapidum parte, quae in Cadavera ſpectabat, caracteribus inſculptis: unum, & alterum tamen inſpeximus, quorum tituli in oculos intuentium ſtatim incurrerent. Satis amplum porro ſepulcrum erutum eſt, quod conſtabat quatuor tabulis marmoreis inter ſe nexis, & jugatis, ſingulisque monumenta exhibentibus. Bina quoque alia ſepulcra cernere licuit pulcberrima ea ſane, tum quod ex graeco marmore tota plane exiſterent, tum vero quod vetuſtiſſimas proderent inſcriptiones, & dignas ſane, quae eruditorum bominum ſtudia excitent, quemadmodum ex iis, quae ſubjiciemus, ſatis patere poterit. Quamquam vero lapides omnes, ſi binos exceperis, gentiles bomines commonſtrant, non dubitamus tamen, quin Chriſtiani iis uſi ſint deletis jam, atque exciſis Gentilium aedificiis. Id autem ex eo vel maxime conjicere licet, quod ita lapidibus tegebantur ſepulcra, ut iis tantummodo verſis, ea quae gererent inſculpta videri poſſent, quod ſane minime contigit in binis tabulis, in quibus Chriſtianis bominibus monumenta poſita fuerant. Equidem banc conjecturam, quae juſta, ut arbitramur, reprebenſione carere poteſt, commendat fortaſſis ſepulcrorum locus ipſe. Is (*) *adjacet areae ampliſſimae Baſilicae, quam olim D. Probo, vel S. Eupbemiae ſacram fuiſſe, ſi quis ſenſerit, profecto reprebendendus non fuerit. Agnellus certe in vita S. Aderiti pag.* 138. *baec ſcribit:* In Baſilica B. Probi ſepultus eſt (*Aderitus nimirum*) non longe ab Eccleſia B. Apollinaris quaſi ſtadio uno. *Ea porrò, de qua eſt ſermo, ut nobis ipſis videre licuit diſtat a Baſilica S. Apollinaris intervallo circiter* $\frac{1}{8}$ *milliar., unius nempe ſtadii. Quare ſi ex locorum intercapedine*

(*) Hujus loci amplitudo ab Auſtro ad Boream eſt palm. 106. fere, ab oriente Sole in occidentem palm. 40.

Digitized by Google

dine quaeſtio definienda ſit, facile conjiciemus in deſerta, quam modo cernimus, area B. Probi, vel S. Euphemiae Templum extitiſſe. Novimus ſane plures quondam circa eadem ferme loca extructas Eccleſias, eam nimirum quae S. Laurentii, aliam quae Petriana, aliam quae S. Crucis, aliam quae S. Euphemiae, aliam denique quae S. Eleucadii dicta eſt. Verum Eccleſiam S. Laurentii apud Caeſaream fuiſſe conſtat: Petrianam in ipſa Caeſareae urbe non longe ab Eccleſia S. Severi, ex oppoſito S. Crucis (*Anonym. in Spicil. Hiſt. Ravenn. Murat. rer. Italic. t.* 1. *p.* 2. *fol.* 177.) *adeoque longo admodum intervallo diſſitam ab Eccleſia S. Apollinaris. Itaque cave putes hanc noſtram cum iis confundi poſſe. Reliqua eſt Eccleſia S. Eleucadii, quae locata dicitur extramuros Claſſis (apud Anonym. pag.* 549.). *At huic Eccleſiae nomen Baſilicae minime tributum ſcimus, quod profecto ob amplitudinem huic noſtrae jure optimo tribui poteſt; quod tamen leviuſculae conjecturae loco eſſe velim. Per nos ergo tibi licet ſentias hanc noſtram eſſe vel Baſilicam S. Probi, vel S. Euphemiae, quam in vicinia illius extitiſſe notum ſit ex Agnello in vita S. Probi pag.* 153. Aedificata eſt, *inquit*, Baſilica (*B. Probi*) juxta Ardicam B. Euphemiae, quæ nunc vocatur ad mare. *Haec porro divinando ſtatuimus, neque enim de re magnis obſtructa difficultatibus certum ferre poteris judicium, cum nihil ſit, quod ſatis explendeſcat. Quaeſtionem vero pluribus perſequi neque hujus temporis, neque loci eſſe arbitramur.*

En tibi igitur, Lector optime, faſciculum inſcriptionum, quas paucorum dierum intervallo reperire licuit. Optamus ſane vehementer, ut leve hoc exiguum munus gratum tibi accidat. Brevi fortaſſis auctum illud, & ſplendidius habebis; fore enim ſperamus, ut curante Ger-

mano

Digitized by Google

mano Giorginio Abbate Claſſ. rei literariae augendae ſtudioſiſſimo alia antiquitatis monumenta in apricum proferre contingat. Illud autem abs te magnopere petimus, ne ſuccenſeas iis, quas dabimus, adnotationibus. Eas tumultuarie colligere oportuit; verebamur enim, ne quiſpiam alius nobis inſciis, atque omnino invitis eaſdem evulgaret inſcriptiones. Scias quoque velim id minime nobis oneris ſumpſiſſe, cui equidem impares nos eſſe fatemur, ut eorum, quae perobſcura iis legendis offendimus clariſſimam, & nulli dubitationi obnoxiam afferamus explicationem. Ceterum noſti ſummis etiam viris aquam aliquando baerere, ut eſt in proverbio, quod ingenue faſſus eſt clariſſimus Marchio Maffejus Muſ. Veron. p. 243., ubi adnotatione ad num. 4. ait: Intelligere & interpretari non ita in promptu eſt, ac exſcribere, & vulgare. *Vale.*

Ravennae Kal. Novem. MDCCLVI.

(1)

D. M.
PHILOMELLO
L. ROMANI
IVVENALIS
SER. ACT
L. ROMANIVS
FORTIS
PRAEPOSITVS
BENE. MERENTI

(2)

D. M
A. VETTIO
EVPHEMO
VETTIA. VENE
RIA. LIB. PATRO
NO. OPT. ET PI
ISSIM. B. M. ET SI
BI. P. S. H. A. P. E. E. Q.
S. S. S. A. D. A. B. INF.
CAES. H-S. $\overline{\text{IIII}}$. N.
Manus ſiniſtra *Manus dextera*

(3)

M M
VALERIE MA
RIEMVALERI
VS EPAGAPHvs
CONSERVE
SORORI ET
CONIVGI Qva
ſe CVA VIXIT AN
XXXVIII VV Pos

(4)

D. M
MESSIA
AMPLIATA
VIXIT
ANN. XXXVIIII
M. IIII.
C. TITINIVS
PAVLVS
VXORI
RARISSIMÆ
B. M. POSVIT
ET. SIBI

(5)

D M
SAFINIAE.
HOSPITAE
MATRI.
PIENTISSIM
PANENTIA.
PLACIDA.
FIL. ET. HER.
B. M. P.
C

(6)

FABIA. ATI
NIA. ANTO
NIO. ERAC
LIO. MARI
TO. DVLC.
B. M. P.

Digitized by Google

(7)

D M
MAMILIAE
AVXANVS
B. M. P. MAMILI
VS. FELIX. HER.
ET. C. AVRELIV
CORINTHVS
SVAE CONIVG
ET. SIBI.

(8)

OBVLCIVS
AGATHOPVS
OBVLCIAE
AVGAENI
COIVGI *sic*
BENEME
RENTI POSV
IT NOMEN
SAEPVLCHRE
TITVLVM CVM
QVA VIXI *sic* AN. XL

(9)

D M
M. AVREL.
CASTVS
MIL. CL. PR
RAVENN...

(10)

D M
L. BAEBIO. SILVAN
VET. EXNAVP.
CL. PR. RAV. N. SYR.
V. A. LXXX. VATRIA
TYRANNIS. CON.
ET. L. BAEBIVS.
PHILEROS. LIB. ET.
HER. PATR. DIGNISS.
POS. S. P. OBIT. E. Q. S. S. S.
H. PLANC. A. D. D. R. P. R.
H-S. N. N. N.

(11)

..........AN
XX. BENNIA.
MARCIA. LIB. HV
IVS. ET. M. IVLI
MONTANVS. EX
IIII AVG. HERES
B. M. P. C.

Digitized by Google

(12)

D M
M. BARBI
FRONTON
III. CAST.
N. DELM.
V. A. XL. II. *ſic*
M. A. XXII.
M. ANTHESTI.
RVFVS.
EX. EAD. HER
B. M. P. C.

(14)

D M
Q. CRISPI
HERACLID.
III. MARTE
NAT. BITHYN
CIVIT. PLVSIDA
VIX. AN. XL.
MIL. AN. XXII
HER. Q. CRISPI
VS MAXIMVS
FILIVS. ET.
IVLIA. MAXI
MA. CONVN *ſic*
B. M. P

(16)

L. SVPERINIO
SEVERO. NA.
PANN. VIX. AN.
XLV. MIL. AN. XXV
III. NEPTVNO
. . . .

(13)

D M
T. MVCIVS
DENTO. N.
BESS. V. A. L. M
A. XXVI. Q. ME
SIVS MVCIA.
IIII. FORT. H.
B. M. P

(15)

D M
M. AVR. PRO
TATI. M. CL. PR
ANTONNIAN *ſic*
RAV. III. MIN. N.
SYR. ST. XXI. Q. V.
A. XXXVII. AQVA
. . . . ENE

(17)

D M
C. IVLIO. FELI
CI. OPTIONI. III
PIETATE. VIXIT
ANNIS. XLV. MIL.
AN. XXV. C. IVLIV.
CRYSANTVS
ET. C. ARRVN
TIVS. CRYSAN
TVS. LIBERTIET
HEREDES. PA
TRONO. B. M. P.

Digitized by Google

(18)

D M
M. IVLIVS.
MAXIMVS.
OPTIO. III. VICTO
NAT. VERNA.
VIXIT. ANNIS.
XXXXVI. MIL.
ANNIS. XXVI.
C. AVLIVS.
SVCCESSVS.
HERES.
B. M. P. C.

(19)

. . . .
C. IVL. APOLIN.
B. IIII. VESTA. H
HVIVS. B. M. P. C.

(20)

D M
TI. CLAVDI. APOLLINA
RIS. V. VICT.
NAT. ARADEVS.
VIX. AN. XXXXIII
MIL. AN. XXVI
SACCIDIA. ANTIO
CHIS. CONI. B. M. P. C

(21)

M. APICIO. T. F
CAM TIRONI
P. P. LEG. XXII. PRIMIG. P. F
PRAEF. LEG. XIII. GEM
Ɔ. LEG. XV. APOLLIN. EVOC
A. COMMENT. CVST. OPTIONI
EVOC. SALAR. CVRAT. AB. INDICIB
PATRON. MVN. RAVEN
PONTIF

Digitized by Google

XIII

(22)

T. FLAVIO. T F
PVP. RVFO
MILITI. COH. XII. VRB
ET. COH. IIII. PR
ORDINATO. ARCHITEC
TESSERARIO. IN. 7
B. PRAEFECTOR. PRAETOR
CORNICVLAR. PRAEF. ANNO
7. LEG. XIIII. GEM. ET. XI CL. ET
II AVG. ET. VII. GEM.
VLPIA. PIENTISSIMA. SOROR. ET
AELIA. SECVNDINA. HEREDES
EX TESTAMENTO. FACIEND. CVRAV

(23)

D. · M.
A. TARONIVS. VE
RVS. VETER. NATI.
DELMATA. VIXIT.
ANNIS. L. COIVGI *ſic*
PETRONIA. LIBER
ALIS. TI. B. M. P. C.

(24)

C. CASSIO.
SENECAE.
VET. EX. 7
L. AEMILIVS.
KAPITO. H ET
LICINIA PROS
DEXIS. CONIV
B. M. P. C.

(25)

MEMORIAE
ANTIFONTI
QVI VIXIT. AN
XVII. MVDXII
FRATRI DVLC
ISSIMO POS

(26)

FLANASTASIO
SANCTISSIMOFILIO
QVIVIXITANNSVIIMIII *ſic*
FLFELIXEXPR·ANNAFRPR

ADNO-

ADNOTATIONES.

(1) SER. ACT. De Aꝯoribus Servis ita ſcribit Titus Popma de Op. Serv. *Actores ſervi, quibus rerum omnium ſumma commiſſa, quique villicis rebus, & rationibus domeſticis praepoſiti, honeſtiſſimo prae ceteris loco, & gradu fuerunt*. Uſos autem Actores ſervis aliis tamquam adjutoribus; neque enim unus omnia poterat, eiſque praepoſitos fuiſſe animadvertit ex Scaevola leg. 40. ff. de ſtatu lib. Laurentius Pignorius de Servis. Actor igitur *omnis ſubſtantiae adminiſtrator*, ut eum appellat Theophilus in Graecis Inſtitutionibus, & ipſo diſpenſatore ſervo *utique dignior*, quemadmodum ait Reineſius Syntag. Inſcript. claſ. XI. n. LV., ita primum inter ſervos obtinuiſſe locum videtur, ut nemini niſi Domino ſubjiceretur. Heic tamen videmus L. Romanium Fortem *Praepoſitum* Actori Philomello fuiſſe. De ipſo autem L. Romanio Forte judicamus, eumdem libertum fuiſſe L. Romanii Juvenalis, quod ex nomine conjicitur. Libertorum enim is erat mos, ut praenomen ſibi atque nomen Patroni adſumerent, ut ex Tertull. de reſur. carnis cap. 37., Lactantio Divin. Inſtit. lib. 4. cap. 3. perſpicuum eſt. Cujus rei plura apud Wilhelmum a Loon de manumiſſ. Serv. lib. 4. cap. 3. extant exempla. Neque tamen exiſtimes univerſarum plane rerum unum ſemper Actorem curationem habuiſſe. Nam apud Gruterum pag. 345. 3. & 346. 2. *Dadem* & *Filetum* habemus in una eademque domo *Actores*; apud Fabrettum tres nominatos legimus *Actores* cap. 2. n. 77. *Herculi Conſervatori ſacrum Creſcentianus*, *Florus*, & *Tychius Actores ex voto fecerunt*; denique apud Muratorium pag. 60. 5. *Florus* & *Tychius* eodem, ut videtur, tempore

tempore *Actores* dicuntur. Quid ergo? Num duos, vel tres ſervos villicarum rerum omnium & domeſticarum rationum univerſae adminiſtrationi praeſtitutos intelligemus? Id ut arbitremur, vix ac ne vix quidem adduci poſſumus. Illud itaque cogitare fas erit, Actores ſine additamento nuncupatos etiam aliquando eos, qui non omnes, ſed quaſdam dumtaxat res privatas alicujus familiae curarent. Nam & varia Actorum genera, & multa eaque diverſa in ſingulos ſervos diſtributa munera fuiſſe ſatis jam ſuperque exploratum eſt: qua de re accurate, ut ſolent, & erudite Tit. Popma, Laur. Pignorius cit. loc. &, Gorius de Libert. Columbario.

(2.) S. H. A. P. E. E. Q. S. S. S. A. D. A. B. INF. CAES. *Si haec arca poſt exceſſum eorum, qui ſupra ſcripti ſunt, aperietur, dabuntur in fiſcum Caeſaris &c.*, ita porro eas ſiglas interpretandas eſſe putabamus. At ſcrupulus ille nos adhuc extimulabat, qui ducebatur hiſce ab ſiglis D. A. B.: quamobrem inſcriptionem cum Antonio Zirardinio ICto, penitioris eruditionis Viro, & amico optimo communicavimus, qui extemplo ſiglas omnes interpretatus fuit eadem plane ratione, ac nos antea ſubſpicati fuimus, & noſtram omnino ſuſtulit dubitationem profectam ex binis punctis a lapicida plus aequo interjectis, cujus erroris innumera ſuperſunt exempla veteribus in marmoribus. Si poſt primam litteram S. lapicidarum vitio deeſſe in marmore putemus litteram Q., tunc interpretabimur: *Si quis hanc arcam &c. dabit &c.* Jam vero de noſtra interpretatione nullum ſuboriri poteſt dubium; nam in fragmento, quod heic habes adnotat. (10), legis diſtincte: *quod ſiquis poſt exceſſum eorum aperire volet &c.*; & apud Muratorium pag. 788. 5.:

Hanc

Digitized by Google

Hanc Arcam ſi q. poſt exc. utrorumque ap. inf. H̄S̄. Π̄. M. N. FISCO, quemadmodum Zirardinius ſuis in ſchedis jamdiu adnotaverat; atque heinc veram interpretationem detexerat alterius marmoris, quod in noſtro Muſeolo adhuc extat, quodque Muratorius edidit pag. 1427. n. 4., atque hujuſmodi eſt:

..... COIVG
INCOMPARABILI
V. P. ET SIBI
SI. Q. H. PLANC. P. EXC
EOR. Q. S. S. S. A. D. INF
C. H·S. L. N

Siglas trium lin., quae poſtremae ſunt, ita interpretatur Muratorius ibid.: *Si quis has plancas poſitas excuſſerit, eorum, quae ſupra ſcripta ſunt, aliqua detraxerit, inferet Coloniae &c.* „ Sed an non (ita Cl. Zirardinius in ſuis Adverſariis) melius explicabimus: „ *ſiquis has plancas poſt exceſſum eorum, qui ſupra ſcripti ſunt, amoverit, dabit in fiſcum &c.?* Ex his, „ pergit Zirardinius, emendanda, atque explicanda „ videtur Cervienſis apud Gruterum pag. 529. n. 8. „ inſcriptio cujuſdam *M. Aurelii militis ex ſuboptione*, „ in qua cernitur formula: *Si quis hanc arc. p. exc.* „ F. S. S. S. S. A. D. F. C, quae quidem ita ut ibi „ edita eſt, vix ullam recipit explicationem, neque „ ullam afferre auſus eſt Magnus Scaliger, qui in Gruterianis Indicibus ſiglas illas indicare contentus fuit; „ nemini enim non inſolens formula videbitur, ſi, ut „ vulgatam lectionem retineamus, cum V. Cl. Fabretto *Col. Trajan. c.* 3. *pag.* 68. interpretabimur: *Siquis hanc arcam poſuerit extra fundum ſacrum ſupra* „ *ſcripti ſuboptionis Aurelii, dabit fiſco centum.* Nos „ itaque Gruterianam inſcriptionem male exſcriptam

„ fuiſſe

„ fuiſſe putamus, & loco prioris F. ponimus E., loco
„ autem prioris S. litteram Q. fuiſſe in marmore cre-
„ dimus, atque ita interpretatio erit: *Si quis hanc*
„ *arcam poſt exceſſum eorum, qui ſupra ſcripti ſunt, ape-*
„ *ruerit, dabit fiſco centum*. Sed nec mendo carere vi-
„ detur alia inſcriptio Ravennas, quam e ſchedis Am-
„ broſianis vulgavit Muratorius pag. 1377. n. 2. in
„ cujus poſtrema linea has ſiglas offendimus: S. Q.
„ H. A. P. EXC. E. A. Q. S. S. S. D. INF. C.
„ H-S. L. N. Littera A., quae ſecundo loco occur-
„ rit, fortaſſis transferenda eſt poſt tertium S. pun-
„ ctumque ponendum ante litteram F., quae Fiſcum
„ ſignificat; ut interpretatio ſit eadem cum praece-
„ denti, niſi lubeat explicare: *Si quis hanc arcam*
„ *poſt exceſſum eorum aperuerit, qui ſupra ſcripti ſunt*
„ *&c.* quod duriuſculum cenſeo„. Haec Cl. Zirar-
dinius.

De utraque manu heic adpoſita ad tituli calcem, & ad celum ſublata pluribus agit Cl. Paciaudius in ſua ad Nicolaum Oddum tunc Æmiliae Prolegatum, nunc Romanae Sedis ad Tractum Rheni Legatum, cujus nos adhuc vehementi afficimur deſiderio, eruditionis ſat referta *diatribe de Graeco Anaglypho*. Id unum animadvertimus in ceteris monumentis, quae a nobis obſervata ſunt, laevam dextrorſum, dexteram ſiniſtrorſum inſculptam eſſe, contra ac factum fuerit in marmore noſtro.

(3) M M. *Moeſtae Memoriae*, vel *Memoriae*. Poſtrema haec explicatio magis arridet; nam in eodem lapide occurrit V V, nimirum *Vivens*. Duabus ergo litteris unicum vocabulum contineri intelligimus. Cl. quoque Muratorius pag. 1012. n. 5. Siglas M M. A. interpretatur: *Memoriae Aeternae*.

XVIII

CONSERVE SORORI ET CONIVGI. Pulcherrimam ſane hanc inſcriptionem eſſe arbitramur, quam *Epagathus Conſervae*, *ſorori*, & *conjugi* poſuit. Alteram certe in uberrima inſcriptionum ſegete apud Gruterum, & Muratorium minime reperies. Qui veterum Romanorum leges probe calleat, ſororem germanam heic minime intellexerit; quod enim turpe non fuit Athenienſibus, turpiſſimum habitum eſt Romanorum moribus. Hic ergo *Epagathus*, ſi conjecturis locum eſſe velimus, in matrimonio habuit feminam, quam *adoptione* antea ſororem habuerat. Itaque *conſervos* primum, deinde *manumiſſos*, mox *adoptatos* a Domino, ac tandem adoptione ſoluta conjuges fuiſſe intelligimus, quod, ne fieret, lege cautum minime erat l. quin etiam 55. par. 1. D. de ritu nupt. Videſis Barnabam Briſſonium l. de jure connubiorum. *Verum libertos ab ingenuis adoptari quidem jure potuiſſe Maſurius Sabinus ſcripſit: ſed id neque permittendum dicit, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum evadant*, A. Gell. Noct. Att. l. 5. c. 19. Permittendum id quidem non erat, factum tamen fuiſſe nonnumquam etiam per id temporis, ſaepius vero ſine ulla criminis nota labentibus annis facile crediderim, quod nimirum majorum inſtituta paullatim obſoleta omnino ferme jacuiſſe contigerit.

At bini piſces in marmoris fronte hinc, illinc cernuntur, eminet media inter ipſos quaedam veluti Crux angulis ad verticem tertia linea ſectis. Cur ergo ſubſpicari non liceat homini Chriſtiano inſcriptionem poſitam eſſe? Sed non ſatis recte Crucem Chriſtianam appellaveris, quam Chriſtianorum more expreſſam minime videmus. Etſi autem piſces ſepulcrorum marmoribus inſculpti Chriſtianos homines commonſtra-

monſtrare ſoleant, eoſdem tamen conſpicuos eſſe in monumentis etiam gentilium notum ſatis ſit ex nuper erutis ad Claſſem lapidibus; complures enim utrinque inſculptum gerebant Piſcium principem, Delphinum nempe, quem certe Chriſtianorum ſymbolum fuiſſe novimus. Eos porro ad gentiles pertinere facillime conjicies ex inſcriptionibus, quae in hoc libello adſcriptos habent numeros 4. 6. 7. 8. 10. 12. 14. 20. Itaque intelligimus gentilem lapicidam, qui de elegantiori lapidis cultu forte cogitaverit, piſces inſculpere potuiſſe. Sed quaeſtionem ſatis, ut arbitramur, definit inſcriptio ipſa, quam improſpere fortaſſis explicaveris, ſi eamdem inter Chriſtianas recenſendam putaveris.

(10) EXNAVP. Heic fortaſſis haud inepte quis interpretabitur *Exnaupego*, ut ſcilicet *navium fabricator* fuerit hic noſter *Baebius*. *Naupegi* enim *Fabri Navales*, *Gloſſae Graeco latinae* laudatae a Ducangio *Gloſſar. med. & infim. Latinit.* Ναυπηγος *Faber navalis*. Naupegi etiam aliquando apud auctores occurrunt, ut in Jul. Firm. l. 4. c. 7. *alios nauceros, naupegos, vel navium Gubernatores*, & in Paterno in L. *ult.* ff. *de jure immunit.* Quin olim extitiſſe COLLEG. NAVPEGIAR. habemus in Sponio *Miſcellan. Erudit. Antiquit.* p. 67. atque in Reineſio *Sintagm. Inſcrip.* claſſ. 1. 261., & in claſſ. x. 7. Navium vero fabricatores Ravennae fuiſſe oſtendit Philippus a Turre *Monum. Vet. Antii* pag. 64., & in marmore Ravennate, *Murator.* pag. 534., legimus: P. LONGIDIENVS. P. F. CAM. FABER. NAVALIS, ideſt *Camilia Faber Navalis*. At cum non ſatis conſtet, num idem, qui *naupegus*, miles etiam aliquando eſſet, ut *Baebius* hic *Veteranus*, idcirco eam ſiglam diverſa interpretabimur ratione, ut eligat, quod quiſque ſentit; *ſunt enim judicia libera*. Igitur liceat etiam interpre-

 tari

Digitized by Google

tari *ex navi praetoria*. At ſi explicare lubeat EX. NAVPHILACE, de milite nimirum, qui fuerit *cuſtos navis*, haud valde repugnabimus. Etenim qui navium cuſtodiae praepoſiti erant, *Nauphylaces* graeca voce dicebantur. Julius Pollux l. 7. c. 31. ait; Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Λημνίαις εἴρηκε καὶ ναυφύλαξ; & Phavorinus fol. m. 370. habet ναυφύλαξ, licet nomen de navis cuſtode non explicet. Ulpianus vero in L. ff. *Nautae & caupones* ait: *Sunt quidam in navibus, qui cuſtodiae gratia navibus praeponuntur, ut* Ναυφύλακες, *& dietarii*: ita apud Ulpianum legitur, non ναοφύλακες, ut putavit Vir Cl. Maffejus, qui hunc locum attulit *Muſ. Veron. pag.* 125. 3., ejuſque ope explicavit Veronenſem inſcriptionem, in qua legitur: *Vet. ex naofilace*. Jam vero petimus hinc interpretationem veteris inſcriptionis noſtri Claſſenſis Muſeoli, quam ſine ulla explicatione edidit Muratorius pag. 831. 6., eſtque hujuſmodi.

MACER. NA
BESSVS. VIX. AN
XL.... MIL. AN. XXV.
N......YLAX. IIII.
FORTVNA.
CAETRONIA.
AFRODISIA
ET. CAETRONI....
FORTVNATA
PATRONO.
B. M. P.

Porro N......YLAX explicamus *nauphylax*; ea ſiquidem in perforato marmore eſt diſtantia ab N. ad Y, ut AVPH interjicere facillime poſſis. Etiam in D. Apollinaris Claſſis in poſtica facie ſepulcri S. Felicis Archiep. Rav. hoc fragmentum habemus, quod quia tanquam

tanquam integram inſcriptionem edidit Muratorius 1003. 6., iterum evulgamus.

EX. NAVF. SIBI. ET. VALERIAE
ARABICE. CONIVNX. *ſic* KARISSIM.
NATIONES. *ſic* NICOMED. VIVI. POS.
QVOD SI QVIS. POST EXCESSVM.
EORVM. APERIRE. VOLET. D. F. C. N̄. XX. N.

Siglas EX. NAVF. ad *nauphylacem* referimus, neque enim Muratorii explicationem *Exuperius Nauctratii filius* ſequi poſſumus; hoc enim idcirco factum eſt, quod Vir Cl. non ſatis adverterit mutilam eſſe inſcriptionem, id quod tamen haud aegre colligere potuit e Schedis a noſtro Mariangelo Flacco tranſmiſſis.

Hinc etiam divinando corrigi poterit inſcriptio Novi Theſaur. 851. 7., ubi legimus *Aurelius Vitellius Mil. Cl. Pr. Miſ.* NAV. FEL. III. *Minerv.* &c. Haeret Muratorius, dum interpretatur *Nav. Fel.*, & explicat *navis felicis trieris Minervae*. At judicaverim lapidem inſcribi debuiſſe NAVFIL. ſcilicet *nauphylax*.

At dum haec ſcribimus, incidimus & in eam epigraphem, quam edidit celebris Gorius *Symb.* tom. 5. pag. 27. 3., in qua iterum occurrit NAVF. III. VICT., & lubentes reſpondentem pereruditam adnotationem perlegimus. Factum eſt porro, ut nos divinationis noſtrae non poeniteret, quin nos ipſi nobiſcum gratulati ſumus, quod eadem cum viro exercitatiſſimo ſenſerimus.

(11) III. AVG. De Triremibus, Quadriremibus, Quinqueremibus, nec non de nominibus Deorum, aut illuſtrium virorum, quorum vel tutela vel inſigne navibus illis adjungebatur, fuſius agunt prae ceteris eruditiſſime Cl. VV. Schefferus de militia navali, & Gorius inſcript. antiq. part. 3. Ne itaque videamur actum

agere

Digitized by Google

agere, aut aliorum partus, novo quodam veſtimenti genere ornatos in medium referre, quod plerique ſolent, ut nuperrime etiam animadvertit in ſua de Numiſmate Carini Imp & Magniae Urbicae Aug. Epiſtola ſpectatiſſimae eruditionis Vir Philippus Bar. de Stoſch, nihil aliud notatum volumus, quam ex noſtris hiſce lapidibus Elencho Trierum Goriano duas has addi poſſe Tirerem nempe *Caſtorem*, & Trierem *Victoriam*; quas habes n. (12), & (18). De Triere *Aquila* nullibi ne apud Gruterum quidem, & Muratorium legimus quidpiam, licet in Novo Theſauro plures videamus Trieres, quam in Gorii Elencho. Eam autem extitiſſe in Claſſe Ravennae demonſtrat fragmentum, quod apud nos ſervamus, quodque editum eſt a Muratorio pag. 842. 6., ſed minus recte. Sic enim ſe habet:

D. M.
M. POMPEIO
SENECAE. DEL.
VIX. AN. L. MIL.
AN. XXV. III. AQ
....AVRELIVS
excſus modo lapis ...... EX EA
....

Quid enim tandem ſigla AQ exprimet?

(13) BESS. Quam multi hujuſce nationis, quae nomen habet ſuum ex Beſſica Regione ad Hebrum, ingens Thraciae flumen ſatis extenſa, Ravennati Claſſi nomen dedere! Nos in Muſeolo noſtro plures habemus hujuſmodi inſcriptiones: frequenter autem occurrunt aliae apud Collectores monumentorum.

(14) Nat. Bithyn. Civit. Pluſiada. *Pruſiada* pro *Pluſiada* legendum fortaſſe eſt; arbitramur enim commutatam fuiſſe literam R. in L. quod inſolens minime eſt

Digitized by Google

me eſt in veteribus monumentis. Ενάλλαξις liquidarum R. & L. uſitatiſſima eſt non tantum graecis, ſed & latinis, inquit Reineſius Sintag. Inſcrip. antiq. claſſ. II. 24. Plura autem ibidem congerit exempla. Eſt vero Pruſias, unde exiſtit *Pruſiada* urbs in Bithynia, quae maritima eſt, quaeque confundi non debet cum Pruſa Civitate in mediterraneis ad Olympum Bihtyniae ſita, neque cum alia ad Hypium dicta, quemadmodum demonſtrat Salmaſius ad Solinum c. 42. Minus ergo recte ſenſiſſe dixeris Cl. Muratorium, qui in Theſau. Vet. Inſcrip. pag. 1704. ſcripſit tres eſſe Pruſias in Bithynia, aliam ad Olympum, aliam ad Hypium, aliam ad Mare; haec enim tantummodo *Pruſias* appellatur.

(15) ANTONINIAN. Extat alterum monumentum in celebrato hoc Muſeo Antiſtitis Ravennatis, in quo fit mentio *Claſſis Praetoriae Antoninianae Ravenn.* Vulgavit Gruter. pag. 1107. 3.

ST. XXI. Obſervatum jam pridem ab eruditis milites Claſſium pluſquam vicena ſtipendia facere ſolitos fuiſſe. Id quod maxime confirmat de Ravennate Claſſe decretum Veſpaſiani Imp. apud Gruterum pag. 537. 1. Hinc vides in Inſcriptionibus noſtris 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19 Claſſiarios militaſſe binos, quinos, ſenos, & vicenos annos.

(16) Humanitate Viri doctrina & prudentia probatiſſimi, nobiſque conjunctiſſimi P. Euſtachii Sirena Sacrae Inquiſitionis heic Vicarii fragmentum hoc noſtris hiſce monumentis adjungimus. Erutum eſt autem Ravennae ad D. Dominicum paucis ab hinc menſibus.

(17) OPTIONI. Non ſemel in hiſce inſcriptionibus habetur Optionum mentio. Hos ita deſcribit Vegetius lib. 2. de re milit., ut intelligamus eos a Tribunis, Centurionibus, Decurionibus adoptatos vicari-

am in

Digitized by Google

am in militia operam praeſtitiſſe. Sed Optionum nomine illi etiam exprimi quandoque conſveverunt, qui annonam militibus diſtribuerent. Animadverſum id eſt a Cl. Stevvechio ad lib. 4. Vegetii, ubi de erogatoribus militaris annonae, quos ait, *Optiones vocatos in novella Juſtiniani* 159. *non ſemel*, & *l. ſuper C. de jure fiſci*, & *l.* 3. *C. de apochis publicis*. Procopius hiſt. arcanae cap. 23. Byz. t. 2. de Juſtiniani ſaevitate loquens rem eamdem confirmat. Ex interpretatione autem Junii in ſuo Nomenclatore ex Svetonio id ab eodem Stevvechio obſervatum eſt, *Optionem inclinante jam imperio dictum eum, qui excubiarum negotium obiret per oculatos inſpectores ipſe excubiis praefectus*. Nos apud Procopium lib. 3. de Bello Vandalico cap. 17. Byz. t. 1. haec legimus: *quem* (Joannem Beliſarium) *ſibi domeſticorum ſumptuum curatorem optaverat*. *Optionem Romani dicunt*. Quibus ex verbis facile colliges cum Nicol. Alemanno in notis ad cap. 23. hiſt. Arcanae Procopii, domeſticos etiam fuiſſe Optiones. At Jacobus Gothofredus Cod. Theod. lib. 7. tit. 4. de erog. milit. añonae exiſtimat hoc etiam loco *militares* Optiones ſignificari; *domeſticos* vero non item.

(18) NAT. VERNA. Num *Verna* pro *Verona*? quod ſcilicet litera O contineatur in litera R; ſimilia enim a Lapicidis frequentiſſime fieri conſueviſſe novimus; adeoque tunc legendum erit *natione Verona*. Neque vero ab hac lectione nos abhorrere cogit vox *natione* praepoſita voci huic *Verna*. Quandoquidem plurima occurrunt exempla, e quibus conſtet Veteres aliquando uſos fuiſſe voce *natione* pro *Civitate* vel *domo*; Sic apud Muratorium 861. 4. NAT. ALEXANDRIN. & in fragmento, quod heic habes adnotatione (10), NATIONES NICOMED.; & rurſum in binis Claſſenſibus

ſibus inſcriptionibus apud Muratorium 817. 1., & 1054. 6. N̄. VER., quas ſiglas Muratorius interpretatur *natione Veronenſi*. Extat & alterum fragmentum in noſtro Claſſenſi *muſeolo*, quod quia antea ſatis exacte evulgatum non fuerat, idem heic ſubjicimus, cum in eo iterum occurrat NA. ALEXANDRIN.

....

VICTORIA. NA
ALEXANDRIN
VIX. AN. LXXX
MIL. AN. XX.
M. AVRELIVS
SELEVCVS. HER.
EX. EA. ET. MARION. LIB
B. M. P. C

Fragmentum hocce exſcripſit Cl. Paciaudius dum Ravennae eſſet, ac vulgavit *Diatrib. de Veteri Criſt. Crucif. Signo* &c. pag. 31. tamquam integram inſcriptionem legens *Victorianus Alexandrinus*, tum vero corrigit formulam EX. EA. & lapicidam erroris ſuſpicioni proponit. At nullus heic lapicidae error; etenim in truncato marmore nonniſi mutilam habemus inſcriptionem, cujus prima, quae extat linea, eadem mehercule eſt, quam heic dedimus. Vocem itaque primam *Victoria* conjungi arbitramur cum aliqua bireme, vel trireme &c. antea nominata, quemadmodum apud Muratorium 817. 1. III. VICT., & in hac ipſa inſcriptione, de qua ſermo eſt, ∇ VICTORIA, aliiſque bene multis. Quamobrem formulam EX. EA. interpretamur *ex eadem*, *navi* ſcilicet Victoria, ut in *Muſ. Veron.* 114. 5. III. VICT.... EX. EADEM., atque heic n. (12)

(19) B. IIII VESTA *Beneficiar. Tetreris* : ita quidem interpretamur ex quadam analogia. Navium enim Be-

nim Beneficiarii nullum nobis praeſto exemplum eſt; ſaepius tamen occurrit non modo Beneficiarius Conſulis, Caeſaris, Praefecti Praet., aliorumque virorum, ſed etiam Beneficiarius *Legionis*. Quemadmodum itaque Legionis erant Beneficiarii, ita nihil, ut arbitramur, obſtat, quin etiam triremis aut quadriremis eſſent Beneficiarii. Simile quidpiam reperimus apud Murat. pag. 837. 2.: Videtur enim nobis eo loci ſatis clare exhiberi Claſſis, ſive in Claſſe Miſenate Beneficiarius: *Q. Naevius Marcianus Miles Cl. Pr. Miſ. Beneficiar. Vixit &c.*

(20) ARADEVS. De populis Aradiis ex Inſula nempe Arado ſaepius loquitur Dio Caſſius. Forte Claudius iſte Apollinaris ex ea Inſula ortum ſuum duxerat: factum vero ut vel lapicida literam I commutaverit in E., vel ut vulgus ex quadam linguae corruptione *Aradeos* appellaret, qui nominandi eſſent *Aradii*.

(21) M. APICIO. Nitidiſſimum omnium, & Antoniniano aevo digniſſimum hoc eſt monumentum, Arcae quidem uſui ad claudenda Chriſtianorum cadavera poſterioribus ſeculis accomodatum, ſed quod primo veluti ſuo ortu Cippi elegantiſſimi formam referret. Non enim in ea parte ſolum, ubi adhuc titulum ſua cinctum corona, literarum etiam forma auguſtum intuemur, ſed ex toto anaglyphis, aut certe titulis aliis mire ornatus olim conſpiciebatur. Nam etiamnum ſcalprorum, quae eum deturparunt, cernimus veſtigia. Eſt cippus iſte ex graeco marmore, longus romanos palmos 9. 4. latus 5. 6. craſſus pariter 5. cum ſemiſſe. Poſitus eſt autem memoriae M. Apicii Tironis, quem multis honoribus functum ex hoc marmore diſcimus, atque ex Camilia Tribu. Ravennates in

tes in ea Tribu Romae deſcriptos fuiſſe pluribus probat Rubeus in indice litera G.; & quamvis ipſe Camillam nominet, Camiliam tamen dicendam eam animadvertit Clariſſimus, & doctiſſimus Vir Annibal de Abatibus Oliverius in ſuis Marm. Piſaur. pag. 99. Sunt apud Gruterum, Fabrettum, & Muratorium notiſſima marmora plura, in quibus, qui nominantur, ut ex Tribu Camilia eſſe dicuntur, ita illis Ravenna Patria diſerte adſcribitur: id quod plane evidentem efficit Rubei ſententiam. Ex eo autem quod M. Apicius fuerit in Camilia Tribu cenſitus, Patronus vero etiam Municipii Ravennatis, praeterea in eodem, ut videtur, Municipio Pontifex, an non conjicere licet eumdem Ravennatem fuiſſe? Neque vero novum, quod in lapidibus appelletur Ravenna Municipium. Nam & heic in Ravennatis Antiſtitis Muſeo extat marmor jamdiu a Cl. Pintio evulgatum in ſua Diſſert. de Numm. Ravenn., in quo legimus *Dec. M. R.* nempe; *Decurio Municipii Ravennatis*.

Alia quoque apud nos extat mutila inſcriptio, quam Muratorius edidit, & partim reſtituit pag. 740. 3., quae eſt hujuſmodi.

...... DES
*vi*X. ANN. LVIIII.
*mi*L. ANN. XXXII. AN
*t*ONIA. POLITICE
*c*ONIVX. D. M. P.
*ha*NC. ARCAM. SI
q. APERVER. VEL. TI
tulum. MOVER. D. R. M. R
H-S XX. N.

Siglae D. R. M. R. explicari ſolent: *Dabit Reipublicae Municipii Ravennatis*. Reliquos praetereo ti-

 tulos,

tulos, quos Gruterus, & Muratorius collegerunt. Qua in re haud ſcimus, num ſubſcribendum ſit ejuſdem Muratorii ſententiae, qui inſcriptionem apud Rubeum pag. 9., in qua legis *Mag. Mun. Rav.*, ita explicat pag. 168. 1., ut intelligere debeas *Magiſtrum* non Municipii, ſed *munerum Ravennatum*. Illud quidem novum nobis accidit, quod expreſſus in noſtro lapide ſit Patronus Municipii Ravennatis. Patronum enim hujus Municipii aliquem eſſe debuiſſe, non ignorabamus; at nemo unus, quod quidem ſciamus, in jam collectis & evulgatis inſcriptionibus *Patronus* Municipii Ravennatis legitur. Ravennam tamen Coloniam etiam deductam fuiſſe ex notiſſimo Strabonis lib. 5. teſtimonio ſatis compertum eſt. Inſolens autem non eſt, ut quae Civitates Coloniam acceperant, eae etiam Municipia in veteribus marmoribus, & apud ſcriptores antiquos appellarentur. Qua de re fuſius Eruditi. Et quod ad Ravennam quidem ſpectat confidimus Zirardinium, quae paravit, de vario jure, & conditione urbis Ravennae editurum aliquando eſſe. Jam vero de Primipilis, de Praefectis legionum de Optionibus, de Evocatis exempla non infrequenter occurrunt. At nullibi adhuc quodnam potiſſimum eorum fuerit munus, qui a *Commentariis Cuſtodiarum* dicerentur, qui *Optiones Salariorum*, quique *Curatores ab Indicibus* eſſent, ſi tamen ita ſit legendum, reperire datum eſt. Sed ſi divinando aliquid dicere licet, atque ex ſimilibus ſimilia deducere, occurrebat nobis illa conjectura a Commentariis Cuſtodiarum dictum videlicet eum, qui cenſum haberet vel eorum, qui in carcere detinerentur; nam & in Cohortibus ſui erant carceres, ut eſt apud Gruterum p. 80. 5. *Optio. Karc. cohor. XII. Urb.*, quas ſiglas interpretatur Scaliger *Carceris Cobor-*

Cohortis; vel fortaſſe etiam eorum, qui excubias agerent; quandoquidem ipſae excubiae cuſtodiarum etiam nomine vocarentur. Jacobus vero Sponius *Miſcel. erudit. antiquit.* Sect. 6. ait: *A commentariis dicti etiam carcerum Praeſides, quod cuſtodias in commentarium, ſive diarium referrent*. Simile quidpiam de Optionibus Salariorum. Habemus enim *Evoc. Aug. Salar. VI.* Fabrett. c. 3. 104. Conſule etiam noſtram praecedentem adnotationem n. (17). Sed hac quidem in re nihil niſi dubitanter ſcribimus. Quodnam vero tandem munus Curatoris ab Indicibus? Novimus Librarios, & variorum etiam munerum fuiſſe in Legionibus atque Cohortibus; *Reineſius* pag. 518. claſſe 8.: putamus etiam Indices, libros nempe ſeu tabulas, in quibus ſinguli milites deſcriberentur, in militia Romana extitiſſe: compertum eſt in eadem militia fuiſſe, qui res deferrent, detegerentque hoſtium motus, dicti alio nomine *Speculatores*. Quid ergo? num horum, aliquid exprimitur in noſtro lapide? Aliorum eſto judicium.

(22) T. FLAVIO. Similis pene formae atque elegantiae eſt alter iſte cippus. Cippum olim hoc marmor fuiſſe illud in primis demonſtrat, quod media in ipſa craſſitie marmoris conſpicitur adhuc quadrata fovea conglutinandae, & ſuſtinendae ſtatuae apprime idonea, quodque circum totam craſſitiem labellum quoddam ducatur in baſim ſtatuae accomodatum. Protenditur Cippus hic in longitudinem palm. 9. 3. in latitudinem 4. 3.; Craſſitiei vero menſura aequat prorſus palm. 3. 9. Ex Pupinia Tribu hunc Titum Flavium fuiſſe ex epigraphe dignoſcimus; de qua Tribu antiquiſſima ſcilicet, & notiſſima tamen, non eſt, cur diſſeramus. Indigitat etiam nobis hic titulus multa militiae munera, ſed quae comperta ha-

Digitized by Google

ta habeat eruditus quiſque. Quis enim neſciat Architectos muniendis viis publicis, ac multis ad commodum *Manſionum* & *mutationum* conſtruendis aedificiis adhibitos fuiſſe? Vocatur autem T. Flavius *ordinatus* Architectus, ea, ut opinamur, dicendi ratione, qua apud Gruterum pag. 599. 9. legimus *Praepoſito ordinato ultro a Divo Tito*, & apud Svetonium in Veſpaſian. cap. 23. *candidatum ordinatum*, vel qua apud eumdem Gruterum pag. 1028. 2. *Centurioni deputato*. Jam de Teſſerario quid loquamur? *Teſſera dicitur praeceptum ducis, quo vel ad opus, vel ad bellum movetur exercitus. Teſſerarii, qui teſſeram per contubernia militum nuntiant*, ait apertiſſime Vegetius de re milit. lib. 2. cap. 7., ubi conſulendus doctiſſimus Stevvechius. Abſolutam Teſſerarii imaginem, ſi quaeris, cum omni ſuo cultu, habes apud Donium claſſ. 6. pag. 228. & apud Muratorium pag. 2036. 2. in qua Teſſera, quam Teſſerarius manu gerit, ea plane videtur, quam deſcribens Polybius par. 10. de diſcipl. & leg. Caſtrenſibus appellat *latiorem tabellam inſcriptam*. Sed vide Juſtum Lipſium de milit. Romana lib. 4. dial. 12., Ratbodi Hermanni Schellii notas in Hyginum, Franciſcum Patricium de re milit. rom. par. 10. ſect. 14. alioſque. Dicitur autem in centuria Teſſerarius T. Flavius, vel ſi mavis in cohorte, nempe in cohorte IIII. Praetoria, niſi fallimur, in qua prius militem fuiſſe eum ex eodem titulo intelligimus. Hinc haud miramur fuiſſe etiam *Beneficiarium* Praefectorum Praetorio. Quum enim ipſe militaverit in cohorte praetoria, accidit forte, ut Praefectorum Praetorio, quibus praetoriae cohortes ſubjiciebantur, beneficio ad munera altioreſque gradus promoveretur. Denique (quid enim de Centurionibus dicamus?) Corniculariorum in officiis Magiſtratuum

eſt mu-

Digitized by Google

eſt munus ignotum nemini. Nam, ut reliqua ſileamus, in notitia dignitatum utriuſque Imperii inter eos, qui varii generis Magiſtratibus praeſto erant, fere ſemper Cornicularii recenſentur. Legendus Gutherius de Officiis Domus Aug. lib. 2. cap. 16., & Pancirolus ad notit. Imp. Orien. cap. 11., potiſſimum vero Jacob. Gothofredus l. 8. Cod. Theod. tit. 4 de cohortalibus, qui prae ceteris fuſius, & eruditius de Corniculariis agit.

(25) In hoc marmore epigraphem praecedit imago Paſtoris hircum in humeris geſtantis, mediique binas inter oves, & arboris palmas; ſigna profecto Chriſtianae Religionis indubia, & notiſſima. Quamobrem judicamus titulum hunc poſitum fuiſſe *Antiſonti* Chriſtiano adoleſcenti. Id vel ex eo noſcitur, quod haec inſcriptio inſculpta eſſet in ſublimiori marmoris ſepulcrum obtegentis facie, contra atque obſervatum eſt in reliquis marmoribus, unum praeterea ſi demſeris, quemadmodum in Epiſtola ad Lectorem monuimus.

(26) Hic eſt alter titulus puerulo Chriſtiano *Flavio Anaſtaſio* poſitus, ſicuti uberrime oſtendit *Chriſti* monogramma hinc inde in marmore inſculptum.

EXPREANNAFRPR. *Ex Praefecto Annonae Africae Proconſul*, qui ultimo latinitatis aevo, ut notat Claudius Salmaſius diſſ. de Secretariis, *Patricius* etiam *Africae* appellabatur. Legi quoque poteſt: *ex Praefecto Annonae Africae Praetor*, ita quidem ut ante fuerit Praefectus Annonae Africae, tum in urbe Roma Praetor. In Romano quippe Imperio conſtitutum fuiſſe Annonae Africae Praefectum ab eo diſtinctum, qui in Urbe Roma, vel Conſtantinopoli abſolute Praefectus Annonae audiebat, colligimus ex notitia Imperii Sect. 35. edit. Philippi Labbe, ubi enumeratis ſeptem Africae Pro

vinciis,

Digitized by Google

vinciis, quae *ſub diſpoſitione Praefecti Praetorio* erant, ſubjungitur: *Praefectus Annonae Africae*. Locum hunc ab eruditiſſimo Zirardinio indicatum nobis fuiſſe grati animi cauſa ingenue profitemur, eidemque reddenda ſunt haec Theodoſiani Codicis teſtimonia, quae in hujus rei confirmationem poſtea contulit. Nam habes, l. 13. de Annona, & Tributis: *Tabularios Praefecti Annonae Africae, ſed & Urbis Romae;* l. 4. de Appellation. *Amabiliano Praef. Annon. Afric.;* l. 12. C. Th. de Navicular. *ad Demetrianum Praef. Ann. Afric.* Haec ex notitia dignitatum Cod. Theodoſiani Tom. VI. par. II. pag. 10. edit. Venetae. Sed quemnam fuiſſe putamus Flavium hunc Felicem, ad quem fuerint delati illi Magiſtratus? Celebris cum primis eſt Felix ille, qui abs Rubeo *Ravennas* dicitur & Patricius, ac tandem Valentiniani III. tempore Ravennae interfectus perhibetur. Multa de hoc Felice, & de honoribus, quibus perfunctus eſt adnotavit laudatus Zirardinius in ſuis ad Rubeum obſervationibus, quas juſſu Card. Henriquez, bene de literis meriti, ornare ceperat. Haec ille nobis, quum de Felice a Rubeo memorato ſermo incidiſſet, humaniſſime communicavit, & nos Hiſtoriae Ravennatis ſtudioſo Viro grata futura non dubitantes, libenti animo evulgamus. Sic porro ſe habent.

„ Felicem ad gradus Eccleſiae Urſianae interfectum fu-
„ iſſe hoc anno (430) Rubeus ſcribit. Ravennae qui-
„ dem eum interfectum Idatius in Chronico refert. *Fe-*
„ *lix* (inquit) *qui dicebatur Patricius, Ravennae tumultu*
„ *occiditur militari*. Marcellinus Comes in Chronico:
„ *Theodoſio XIII & Valentiniano III. Coſſ.* (hoc eſt
„ anno 430.) *Theodoſius Imp tricennalia geſſit. Felix*
„ *apud Ravennam occiditur*. Ad gradus Eccleſiae Ur-
„ ſianae eum interfectum fuiſſe Rubeus ex Agnello

hauſiſſe

„ hauſiſſe videtur. Is enim in vita S. Exuperantii
„ par. I. pag. 225. ait: *In diebus ejus* (hoc eſt S.
„ Exuperantii) *occiſus eſt Felix Patricius ad gradus*
„ *Eccleſiae Urſianae Menſe Maji*. Illud Rubeo mini-
„ me adnotatum eſt, quod heic Agnellus addit *Men-*
„ *ſe Majo* caedem hanc Ravennae contigiſſe. Ad hunc
„ Felicem dubio procul pertinere arbitror veterem In-
„ ſcriptionem, quam edidit Gruterus pag. 1076. 2. nempe
„ *Fl. Felix V. C. Magiſter utriuſque Militiae Patricius &*
„ *Conſ. Ord. & Paduſia ejus Inl. Femina voti compotes de*
„ *proprio fecerunt*. Nam Felicem, qui Ravennae occiſus
„ eſt, eum fuiſſe, cui Paduſia uxor erat ex Proſperi
„ Chronico diſcimus, ita enim ſcribit: *Theodoſio XIII.*
„ *& Valentiano III. Coſſ. Ætius Felicem cum uxore*
„ *ſua Paduſia, & Grunitum Diaconum, cum eos inſidiari*
„ *ſibi praeſenſiſſet, interemit*. Quum vero cauſſa, cur
„ Ætius Felicem interfectum voluerit hic a Proſpero
„ diſerte exprimatur, nemo profecto erit, qui non eam
„ ſequi, quam Rubeo aliam cauſſam cominiſcenti aſ-
„ ſenſum praebere malit. Ceterum ex laudata In-
„ ſcriptione diſcimus Felicem ſummos Reipublicae ho-
„ nores geſſiſſe; fuiſſe nempe Conſulem Ordinarium,
„ Patricium & Magiſtrum utriuſque Militiae; quae
„ omnia his, quae Rubeus poſtea ſcribit, convenientia
„ ſunt. Conſul quidem proceſſit anno 428., ut om-
„ nibus notum, Rubeoque animadverſum eſt. Patri-
„ cium anno ſequenti 429. creatum fuiſſe a Placidia
„ Rubeus putat, in quo faventem habere videtur
„ Proſperum, aqud quem legimus: *Florentio & Dio-*
„ *nyſio Coſſ. Felice ad Patriciam dignitatem provecto*
„ *Ætius Magiſter Militum factus eſt*. Sed ea in re Pro-
„ ſper minime convenit cum Idatio, qui in Chroni-
„ co eodem anno, quo Johannes Tyrannus de medio
„ ſubla-

„ ſublatus eſt Felicem ad Patriciatus culmen evectum „ ſcribit: ***Apud Ravennam***, inquit, ***primo invaſae Ty-* „ *rannidis anno*** (Johannes) ***occiditur, & Felix Patri-* „ *cius ordinatur ex Magiſtro Militum***: quo in loco pro „ *ex Magiſtro Militum* veterem Codicem habere *& Ma-* „ *giſter Militum* Sirmondus monet. De Magiſterio Mi- „ litum Felicis teſtatur etiam Proſper ad annum 426., „ qui idem quanta in Romano Imperio, & in aula „ Principis auctoritate Felix iſte fuerit, poſtea oſtendit, „ quum ad an. 427. bellum Bonifacio illatum fuiſſe „ ait ***ad arbitrium Felicis***. In Jacobi Gothofredi Pro- „ ſopograph. Cod. Theodoſiani pag. 42. edit. Ven. ni- „ hil aliud notatur, quod quidem certo ad noſtrum „ Felicem pertineat, niſi eum fuiſſe Conſulem anno „ 428. Forſitan tamen idem eſt hic noſter cum eo, „ qnem anno 412. Praefectum Praetorio fuiſſe ex l. „ 13. C. Theod. de Haeret. idem Gothofredus oſten- „ dit. Nihil porro habet, quo nitatur Rubei conje- „ ctura ad hunc Felicem referentis Ravennatem In- „ ſcriptionem veterem ejuſmodi: ***In nomine Dei Val.* „ *Felix Proc. Rav. locum dulciſſimis, tum vetuſtate con-* „ *lapſam reſtituit, atque adampliavit, & libens animo* „ *Iduum Maiarum die dedicavit***, quae & a Muratorio „ edita eſt pag. 2012. 10. Sed neſcio cur Ravenna- „ tes, qui eam illi communicarunt, omiſerint priora „ ejus verba: ***in nomine Dei*** „. Hactenus Zirardinius numquam ſine laude commemorandus. Et recte qui- dem ait nullam eſſe Rubei conjecturam. Nam apud Muratorium pag. 403. n. 4. extat inſcriptio haec Gruterianae ſimillima:

FLA-

Digitized by Google

XXXV

FLAVIVS CONSTANTIVS FELIX VICTOR
MAGISTER. VTRIVSQVE MILITIAE
ET CONSVL ORDINARIVS
ET PADVSIA INL. FEMINA EIVS VXOR
VOTI COMPOTES DE SVO
FECERVNT

Ex hac porro intelligis, & Felicem hunc eumdem fuiſſe cum *Felice* Gruterianae inſcriptionis ob Paduſiam, quae Felicis Conjux in utraque inſcriptione dicitur, & quatuor omnino nominibus eum diſtingui ſolitum. Quis enim arbitrabitur quatuor illis aliud praeterea adjungendum nomen? Quum itaque nullum heic nomen inſpicias, cui reſpondere poſſe videatur Sigla *Val.*, quam in Rubei monumento legimus, ſatis conſtare arbitramur, ad Flavium Conſtantium Felicem inſcriptionem Rubei pertinere non poſſe.

Pertinet ne vero ad eumdem noſter hic lapis? qui Felix forte iis perfunctus honoribus, qui in hac inſcriptione indicantur, ad Conſulatum poſtea pervenerit, & dignitates reliquas, quas Gruteri, & Muratorii inſcriptiones commonſtrant, demum ſit conſequutus. Profecto haud valde repugnaverim. Nam ſi characterum formam intueamur, quae eorum ferme temporum rationem ſequi videtur, ſi praetera conſideremus Ravennae inventum lapidem plane ſupra corpus Fl. Anaſtaſii ſeptennis, ut ſuſpicari non liceat eum aliunde huc advectum: ipſum autem Felicem ut Ravennatem, ſi tamen hac in re adhibenda eſt Rubeo fides, heic domum familiamque habuiſſe, conjectura validior fortaſſe cenſebitur. At vero ſunt circa ea fere tempora Felices alii. Is nimirum, qui anno 398. fuit Praefectus *Urbis*, vel, ut emendat loc. cit. Gothofredus; *Praetorio Galliarum*: Felix item Magni Felicis

licis filius; alius praeterea, cui Flavii praenomen dat Relandus; de quibus Pagius ad annum 511. Sed hac de re hactenus; omnia enim congerere ſupervacaneum videri facile poteſt.

MANTISSAE loco adjungimus epigraphes quaſdam, inſculptas pluribus ex iis lateribus, quibus Chriſtiani uſi ſunt, ſepulcra dum conficerent ſua, ad quae tranſtuliſſe videmus rudera veterum aedificiorum. Has equidem plurimi non aeſtimandas novimus; ſed quoniam nonnullis gratas fore putamus, eaſdem heic ſubjicere duximus, adjecta etiam grandioris ſuperficiei lateris cujuſque inſcripti dimenſione ad PalmumRomanum exacta.

(I)

M. COM. ANTO. AVG.

(II)

IMP. ANTO. AVG. PI

(III)

IM. C. ANTO

} *longitudo palm.* 2., *latitudo palm.* 1, 10.

(IV)

IMP. ANTO. AVG — *Facies quadrata, cujus latus palm.* 2. *un.* 6.

(V)

CARTORIANA — *Facies quadrata, cujus latus palm.* 2. *un.* 7.

(VI)

O. P. C. — *Facies quadrata, cujus latus palm.* 2. *un.* 7. *cum ſemiſſe.*

FAVENTIAE PRID. ID. NOVEMB. MDCCLVI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS ANTONIUS ARCHIUS
SUPERIORUM PERMISSU.


Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek

Digitized by Google







Digitized by Google